



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Doct. Martini Lvtherii Avgvstiniani Theologi Synceri
Lvcvbrationvm Pars Vna, quas ædidit usq[ue] in annum
præsente[m] XX. Catalogum earu[m] uersa tibi pagina
indicabit. Alio Tomo, Domino Volente, ...**

Luther, Martin

Basileae, 1520

VD16 L 3411

Qvartvm Praeceptvm. Honora Patrem Et Matrem, Vt Sis Longaevvs Svper
Terram.

urn:nbn:de:hbz:466:1-34878

minet beneficia dei in se per totam uitam collata. Tum illis opponat suam ingrati-
tudinem, & uitia, in abusu talium bonorum, ut quod dedit, v. sensus, tot
periculis seruauit, tot bona corporis, mentis, rerum dedit. Quae omnia non be-
ficijs, non lapidibus, non deniq; plurimis hominū dedit. Post hæc fiat ascensus
ad spiritualia, quod filium suum misit, in carnem, crucifigi, mori, & alia infiniti-
tæ dignitatis, tandem promissa æterna bona. Hæc omnia ruminata, & peccat-
tis composita proprijs, mire excitant odium, ac detestationem sui, amorem ue-
ro & laudem dei. Hæc est uerissima contritio, uiua & efficax; ubi illa de timo-
re inferni, & peccati turpitudine, est literalis, ficta & breui durans, quia nō ra-
dicata amore, sed incussa timore tantum. Sic de quodam legitur, qui per totam
uitam pessime uiuens, miris tamen beneficijs, ac donis dei prouehabatur, tan-
dem etiam ad episcopatum prouectus est. Tunc ad se reuersus, & admiratus
dei benignitatem erga suam indignitatē, exclamauit: Vicisti domine, & con-
clusisti me nimia bonitate tua, id eoq; ecce amodo totus tibi seruiam, & ita fe-
cit. Neq; contemni debet rudis ille ascensus a primis corporalibus bonis &c.
Nam legitur in historijs, quod tempore concilij Constañ. duo Card. ad Con-
cil. equitantes, pastorem in agro flentem uiderunt. Vnus autem eorum animo
misericiordiore, non possum (ait) abire, nisi audito illo homine & consolato,
& accedens causam fletus perconctatur. Ille dissimulat tristis, instat Card. &
cogit fateri. Tandem, ecce inquit, hanc bestiam (buffonem intuitus) tam exi-
miam creaturam fecit me deus, hominem erectum, decorum, rationalem, &
nunq; gratias egi, quod non me quocq; tam deformem buffonem fecerit, hoc
est quod amare fleo. Tunc Card. insolita contritiōe hominis percussus, & sua
maiora beneficia, maiore ingratiudine sua, subito cōspiciens, de mulo exani-
mis cecidit. Tandem leuatus cura famulorum, & in ciuitatem perductus, sem-
per exclamauit: O Augustine sancte, q̄ uere dixisti: Surgunt indocti & rapiūt
coelum, & nos cum doctrinis nostris uolutamur in carne & sanguine.

Historia de
duobus epis

Hæc sunt opera ueræ sanctificationis, quæ significantur omnibus exteriori-
bus. Sic Treñ. iij. Memoria memor ero, & tabescet in me anima mea. Sine ijs
duobus non accenditur mens & cor; corde autem non succenso, omnia a-
lia frigide, uane, & noxie fiunt, quia sine fructu. Et hæc duo debent ex euan-
gelio audiri, audiatq; ruminari. Sunt enim hæc duo, scilicet dei bona, & no-
stra mala, scala ipsa in deum, in qua descendimus in nos, & ascendimus in
deum, sicut figuratum est Genesis. xxviij. Sunt etiam duo illa sacrificia,
laudis & cōfessionis, de quibus: Sacrificium laudis honorificabit me. & quod
ille sit ascensus in deum, sequitur: Et illic iter, quo ostendam illi salutare dei,
id est, reuelabo ei æternam salutem. De altero, confessionis scilicet: Sacri-
cium deo spiritus contribulatus, cor contritum & humiliatum deus non despi-
cies. Et hæc duo simul oportet offerri, ut sint eo perfectiora.

Bñficia dei
& nostra ma-
la sunt scala
in deum.

QUARTVM PRAECEPTVM.

HONORA PATREM ET MATREM, VT
SIS LONGAEVVS SVPER TERRAM.

Hoc

HOc præceptū Iudæi fecerunt irritum per traditiones suas, sicut & oīa alia: quia honorem hunc exponebant solum in uerbis & signis, irritatores facti uerborū legis. Quia enim honorare significat signū reuerentiæ exhibere, acceperunt illud secundum huius significatiōis corticem, ut solo exteriori signo honorandos docerēt. Sed ut sapius dixi, Lex domini est spiritalis, immaculata, cōuertens animas, ac interiorem in stituēs hominē. Ideo cor primum obligat & requirit. Quare præcedamus secundum hunc duplicem sensum, scilicet literæ & spiritus.

Honor parentum spiritalis, est exhibitio cordis, & reuerentia promptæ uoluntatis, in quo includuntur duo.

Primo, prompta obedientia ac uoluntas ad omnia, quæ uolunt parentes.

Secundo, digna æstimatio & opinio parentū. Honor enim cordis est magna pietas, & maior quæ charitas in proximum, quia charitas solūmodo diligit prompta seruire proximo, & preciosum eum existimans. Ideo istud præceptū statim post præcepta primæ tabulæ ponitur, quia est de illis, qui sunt uicarij dei, quare sicut deus colendus est honore & timore, ita & uicarius eius. Patet itaque, quod qui spiritaliter honorat parentes, exhibet eis primo promptam obedientiam & uoluntatē. Ac per hoc nō solum succurrit eis in necessarijs, sed etiam in omnibus obedit eorum beneplacitis. Et qui tale cor suis parentibus nō exhibet, sciat se non implere hoc præceptum: quanquæ & nunc quoque in ista intelligentia cæci, in nuda superficie uerborum laborent plurimi. Ergo honora dicit, scilicet corde intimo, & affectu pleno, parentes tuos &c. Quomodo enim parentibus inobediens sit, qui cor eis non solum obtulit, sed & cum honore obtulit.

Secundo (quod maius est) exhibet reuerentiam (nō in litera foris, sed in spiritu intus) id est, magnificam opinionē in corde de illis habens. Et hoc potissimum in hoc præcepto cōmendat, per quod & differt (ut dixi) a charitate, qua qui libet alteri obedire & seruire iubetur Gal. v. Sed unde nascitur illa sublimis opinio de parentibus in filijs? Maxime, cum quandoque sint pauperes, ignobiles infirmi, deformes, aut alias minus reputabiles. In ijs enim multi offenduntur, ut fastidiant, & erubescant parentes suos, dolentes, quod non de diuitibus, potentibus, nobilibus &c. nati sunt. O cæcitas magna. His tradenda est regula.

Opinio parentum grandis fit respectu dei, & uoluntatis eius. Sic enim pius filius cogitabit, Ecce si summæ maiestati nō fuit indignum uisum, quod talem hominem uoluit parētem meum esse, cur mihi indignū uideatur? Si deo summo placuit in illo operari, & me creare, cur mihi displiceat in illo fieri, aut factum esse? Nam quid faciunt parentes ad formationem filij? qui nec si sit masculus, fœmina, oculatus, auritus, pedatus, uiuus, mortuus, albus, niger, capillatus, siue non, futurus unquæ, cogitant. Ergo officinā dei mei, artificis mei aerebor. Non aduertam oculos in paupertatem, deformitatem, ignobilitatem parentum, sed in deū operatorē. Sic sic fluit reuerentia ex deo in parētes, non ex parentibus, dum altius intuetur, quæ ut sunt caro & sanguis, sed ut officina summæ maiestatis. Quis enim cōtemnet officinam principis? quod fabrefactum opus odit officinam suam in qua factum est? Cum igitur deus uelit parentes honorari, & iustissima sit causa, scilicet, quia uicaria & officina dei est, solo hoc differt istud mandatum a præcedentibus, quod deus in illis honoratur ut in seipso, in isto, ut in alio, scilicet regentibus, qui sunt sedes, officina, altare, propitiatorium eius. Hic ergo est uerus honor.

Honor parentum spiritalis obedientia & ueneratione includit.

Parentum ueneratione unde nascatur in nobis.

R ij Honor

Parentū honor literalis est ex timore Honor parentum literalis, est inuito corde, & contemptore animo, sola scilicet formidine poenae, exterius signo honorare parentes. Nam qui sola formidine poenae honorat, scilicet ne confundatur coram hominibus, uel puniatur hic, aut in futuro, tamdiu honorat, quādiu timet, & poenam cogitat. Semper autem intus corde contemnit, oblitus autem poenae, etiā opere foris contemnit, ut in multis exemplis probatum est, & quotidie experitur.

Parentū in filios diligētia

Dicitur est, quo modo se filij debeant habere erga parentes. Sed oportet, ut illi rursus se exhibeant parentes, ut digno nomine sint parentes, ne honor filiorum conferatur in idola, & mortua simulacra parentum. Immo forte sunt peiores aliquādo quā latrones, quia fouent carnē illorū, & interficiūt aīas eorū.

Sapius enim fit, ut filius in patre peiorem homicidam habeat, & utilius fuerit filium a latrone occidi, quā a patre foueri. Aut cur putatis, quod pestis potissimum sauit in paruulos; nisi quia deus implet in eis, quod Sap. iij. ait: Raptus est ne malitia mutaret intellectum, aut ne fictio deciperet animam illius, propter hoc properauit illum educere de medio iniquitatum. Et infra: Condemnat enim iustus mortuus uiuos impios, & iuuentus celerius consummata, longam uitam iniusti &c. Sed de ijs latius postea.

Nunc ut uideamus, quid eis debeant, ut sint parentes. Apo. Ephe. vj. postquam filios iussit, ut parentes honorarent, & praeeptum illud comendasset, atque interpretatus fuisset, dicit: Filij obedite parentibus uestris in domino. Vtiq; uolens, ut sint non tantum in carne parentes, sicut gentes, sed in domino, & illi obediant etiam in domino. Statim de parentibus dicit: Patres, nolite ad iracundiam prouocare filios uestros (quod Colof. iij. exponit, Ne pusillo animo fiat) sed educate illos in disciplina & correptione domini.

Caueant in primis parentes, ne nimia seueritate filios suos pusillanimes & timidus reddant.

Ex amore castigent filij.

Primum, quod eis impendi uoluit, ad animum scilicet pertinens (nihil enim de corpore eorum praedicauit) ut non prouocent eos ad iram & deiectionem, hoc est contra eos, qui furiose regunt filios, & dum animus adhuc mollis est, in totum timorem & pusillanimitatem uertitur, ita ut odio parentum tandem affugiant, & faciāt, quae alias nunquam fecissent. Quae enim spes hominis, qui diffidentia in parentes & odio, de illis desperat. Non enim uult Apostolus, ut filij non offendantur, aut uerberentur, sed ex amore castigentur, non ut illi furiosum animum expleant, nihil solliciti quomodo emendent filiorum errorē. Facetus enim pusillo animo, ad omnia inutilis & desperatus efficitur, timidus oīa agere & aggredi. Et quod peius, quod talis timiditas, teneris annis imbibita, uix unquam postea eradicabitur, quia enim ad omne uerbum parentum didicerunt terreri, ideo postea etiam ad folium arboris timent sonantis. Sed & illa nutriculae, quae pueris illudunt terribilibus formis & gestibus, praecipue de nocte sunt compescendae. Omni studio puer est formandus ad timorem bonum, ut timeat quae timenda sunt, non autem ad esse timidum, sicut parentibus quibusdam satis est, si timidos tantummodo habeāt, quod est nocentissimum futurę aetatis.

Hoc pro declinatione ad sinistram, nunc ne etiam in alteram partem peccetur, dicit Secundo: Sed educate eos in disciplina & correptione domini, id est, docete eos docenda, & corripite non seruantes ea. Vtrunq; illis, necessarium, & eruditio eorum, quae ignorant de deo, & correptio, si cognita non sequantur. Vide itaq; ut ante omnia filios uelis institui in spiritualibus, ut prius deo tradantur, quā mundi negocijs. Et heu quā ista nunc sunt omnia peruersa. Nec mirum quando nec parentes ipsi sunt eruditi, aut correptione probati. Fuit autē una spes reliqua in scholarum magistris, ut saltem ibi sub literis erudirentur in pietate

tate, sed & hæc perijt. Omnes gentes, præsertim Iudæi, diligentius instituunt pueros suos, quæ Christiani. Ideo & ecclesia pessime habet, quia tota eius uis consistit in successoribus, qui in prima ætate negligunt, sicut hortus in uerno tpe

Igitur in eruditione domini sunt educandi. Est autem eruditio domini, qua docentur cognoscere dominum Iesum Christum, infigere eis recenti memoria, quomodo ipse pro nobis passus sit, ac quæ fecit, quæ promisit, sic ut filijs Israel præceptum fuit, ut nota facerent filijs suis, ut cognoscat generatio altera mirabilia, quæ fecit cum patribus eorum in Aegypto. Et hoc cognito, si non discant amare dominum, & gratias agere, & orare, & sequi Christum, adhibetur correptio domini, id est, terror iudicij dei, & minationes iræ dei super malos. Hoc enim qui ab ineunte ætate didicerit, scilicet beneficia dei & promissa unde diligit, deinde plagas & comminationes, unde timeat dominum, facile hæc tenebit factus maior. Nam in ijs duobus uult dominus coli, amari, ut pater ex beneficijs præteritis, presentibus, & futuris: Timeri ut iudex, ex plagis præteritis, presentibus, & futuris: sicut dicit: Si ego sum pater, ubi est amor meus? si sum dominus, ubi est timor meus? Sic ergo discant filij domino cantare misericordiam & iudicium. Hæc duo enim Apostolus intendit, quando dicit, in eruditione & correptione domini. Ad eruditionem pertinet ut dicas ei, quomodo deus omnia creauit, ei sensum, uitam, animam dedit, quotidie omnibus bonis ituet, quæ creauit, pro eo passus est, & mirabilia fecit, prædicauit, adhuc maiora promisit, ut pro his gratus sit deo, & patrem agnoscat, ac diligit. Ad correptionem pertinet ut ei dicas, quantis olim plagis percussit Aegyptios, gentes, Sodomitas, filios Israel, denique omnes in Adam. Item quot adhuc ante oculos percutit peste, patibulo, gladio, aqua, igne, bestijs, morbis, & quanta comminetur in futuro, in geenna cum diabolis. Et uult hæc potius adhiberi, quæ correptiones hominum, id est, proprias. Non sine causa, scilicet ut discant semper sursum ad deum aspicere, & non homines, sed deum timere. Ne si parentum rugas timeant, tandem etiam in ijs, quæ dei sunt, homines timeant, hoc est, ne pusillo animo fiant. Hoc enim agendum est cum filijs, non ut parentes timeant, sed deum offendere se sciant, si parentes non timeant. sic enim non fient pusillo animo, quia ubi parentes etiam proprios, non nisi deum timendo, timere didicerint, postea etiam in aduersis & prosperis non a deo recedant, timore uel amore quocumque.

Quod autem gratum sit hoc deo sacrificium in filijs erudiendis, patet in Gen. ubi dominus Abraam non potuit celare, quod facturus erat, sola de causa motus, dicit: Scio enim quod docturus est filios suos, ut timeant dominum. Ecce quomodo correptionem domini super Sodomas dicit profuturam per Abraham in educatione filiorum, ad timorem eorum. Similiter Ionadab pater Recharum eximie laudatur, & in filijs benedicitar, quia eos pie & religiose educarat in timore domini. Sic Thobias, Ioachim, uxor Susanna educati sunt.

Econtra Heli, i. Regum. iij. quid meruit, filios suos negligendo, ibidem patet. Item, quid ille puer quinquennis apud beatum Gregorium?

Et uere stultissimi sumus. Ecce in proprijs filijs possunt mereri, uel uitam, uel mortem, & non aduertunt. Nam quid prodest, si tua culpa malos filios educas, etiam si tu sis in te ipso irreprehensibilis?

Multi alienis studijs deo seruire præpostere nituntur, ieiunando, uestes portando asperas, & alijs affectatis obseruantijs. Et hæc domesticam pietatem ceci non minus transeunt, quæ olim Iudæi, relicto templo dei, in excelsis immolabant.

R iij bant.

Eruditio dñi
instilletur pu
eris & corre
ptio.

Educatio pu
erorū est deo
sacrificium.

bant. Primum erat attendere, quid dominus a te requirat, cuius officij tibi onus imposuit, ut Apostolus ait, in qua uocatione uocatus quisque sit. Hoc enim ante omnes indulgentias, orationes, ecclesiarum uisitationes, uota quaecumque, curandum fuit & agendum.

Parentes indulgentiores filios pdunt.

Dictum fuit, quomodo parentes se gerere erga filios debent, ut digno nomine parentes uocentur, ne ex parentibus fiant perdentes, & pereuntes simul cum filiis. Videamus igitur qui sunt isti perdentes, ac perditores filiorum. Primi scilicet, qui omittunt, & scienter sinunt eos crescere sine eruditione & correptione domini: quamquam nullo malo exemplo noceant, tamen permissione eos perdunt: ut qui nimis carnaliter eos diligunt, ac tenere fouent, dicentes, pueri sunt, non intelligunt quid faciunt. Et uerum dicunt, sed nec canis, nec equus, nec mulus intelligunt quid faciunt. At, uide, quomodo discunt ire, uenire, se, qui, facere, omittere, quae non intelligunt. Sed nec lapis, nec lignum intelligit quae sit inepta res ad domum, sed formatur ab artifice, & statim intelligit, quanto magis homo. Aut si aliorum pueri intelligunt, cur tui non intelligunt? Haec ergo peccata filiorum portabunt, quia faciunt eadem, ut sint sua. An non puer ille quinquennis, de quo B. Greg. fuit non intelligens?

Pueri malo exemplo per dente.

Secundi, Qui uerbis impudicis, & maledicis, deinde exemplis, ac gestibus malis, eos praecedunt. Sunt reperti, & utinam nusquam adhuc sint, sicut ego noui qui prostituerum filiarum lucro uictitabant, & iussu parentum, filiae ac uxor fornicabantur. Quis dubitet, ijs filiabus pro parentibus utiliores fuisse latrones? Sunt adhuc tam stulti, quibus mire placet, si filios habent Mauortios, & percussores faciles, tanquam laude dignissimos, quod nullos timeant. Horum stultitiae praemium finale solet esse luctus & dolor, de subita filiorum occisione, & iuste. Nunc filij (ut iuuentus fert feruida) proni sunt ad concupiscendum & irascendum, ideo cauenda exempla parentum, in uerbis & gestibus. Quid enim filius discat maledici ac impudici, quam maledicere & impudice loqui?

Pueri ad luxum quidam alunt.

Tertij: Qui occasionem dant filiis ad mundum diligendum, ut qui nihil sunt aliud solliciti, quam quomodo discant incedere, saltare choreas, ornari, hominibus placere, concupiscentias irritare, mundo conformari. Vbi sunt nostra aetate, qui tanta cura filiis prouident deum, quanta prouidet nestes, luxus, diuitias, honores &c. Mare hic plenum reptilium maiorum & minorum occurrit. Vide quae portenta uestrium, haec licentia attulit in utroque sexu, praecipue in mulieribus: deus custodiat uiros, ne lineum pepulum portent, quia mulieres birrheta nudis capillis portant, sicut masculi, forte in uindictam, quia uiri portare coeperunt reticula capillaria, quae mulierum erant, ideo mulieres receperunt a uiris birrheta. Et quare utrumque mundus pulchre decere putat, nisi quia placet nouus mos? Sed cogita tecum, quid sit uiri caput in uolui reticulo muliebri, & mysterium simul, quod Apostolus tetigit, quando caput uiri non uelari uoluit.

Mulieres se ornant aliquando ex consensu uiri.

Sed primum distinguamus. Aut ornatus eiusmodi fit uolentibus maritis ac iubentibus, hic possunt mulieres certe excusari, si tamen inuito faciunt, solum ut placeant uiris, uiris inquam sensatis & habentibus, ut S. Cecilia foris in aurea ueste incedebat, intus induta cilicio ad carnem. Et Anasta. similiter. Item Hester olim in Vere. lege. Quin S. Augusti. grauiter arguit quandam Edithiam, quod abiecerat inuito uiro, uestes matronales, & habitum uidualem sumpserrat. His ergo omissis, quia uiro obediendum est in ijs, quae sine peccato fieri possunt: de ijs uideamus, quae inuitis & coactis maritis expostulant hos luxus, de quibus non me, sed primum Apostolum Petrum audite, qui pastor fidelis oim constitutus

constitutus est, primæ Petri, iij. Similiter & mulieres uiris suis subditæ sint, ut si qui nō credunt uerbo, per mulierū conuersationē sine uerbo lucrifiant, considerantes in timore sanctam cōuersationē uestram (spiritualiter & corde subsint, quod est timore seu reuerentiā subesse, ut magnifice opinent de eis) Quorum nō sit extrinsecus capillatura, aut circūdatio auri, aut indumenti uestimētorum cultus, sed qui absconditus est, homo cordis in incorruptibilitate, quieti & modesti spiritus, qui est in conspectu dei locuples. Sic em̄ aliquādo & sanctæ mulieres, sperantes in deo ornabāt se, subiectæ pprijs uiris. Sicut Sara obediebat Abraæ, dominum eum uocans; Cuius estis filiæ benefacientes, & non pertimentes ullam perturbationem.

Mulierū præcepta uiuēdi.

Hęc uobis lectio recitatur mulieres, hoc latinū (ut pueris) uobis proponitur discite & aduertite: Episcopus, Papa, Apostolus, pater, pastor uester, hoc dicit & seruandū tradit. Postea & uiris quid tradat, audiamus.

Ac primum, ne quis de mulieribus in hoc præcepto non dicendū putet, sciat quod omnis superior potestas humana hic præcipitur honorari, ut & antea dixi. Vir autem caput & dominus mulieris est, ac superior. Sicut ecōtra potestas omnis hic monetur, ut se dignam honore præster. Quare post filiorum eruditionem, immo cum eorum eruditione, recte ac proxime de coniugatis etiam inter se dicendum est.

Vide autē quanta suauitate & modestiā, quanta quiete & lenitate docendi procedat piissimus Apostolus: Non est turbulentus, nō fulminat, non minat, sed leniter ac suauiter docet, ita ut uel ipsa dicēdi gratia pmouere debeat ad seruanda ea quæ docet, nedum utilitate rerū, quas docet, ac solū docere intendit.

Ap̄s suauiter docet.

Primum uult, ut mulieres sint subditæ uiris suis, cui consonat Paulus Col. iij. Mulieres uiris subditæ sint, sicut oportet in domino. Et Ephe. v. Mulieres uiris suis subditæ sint sicut domino, quoniā uir caput est mulieris, sicut Christus caput est ecclesiæ, ipse saluator corporis eius, id est, non corruptor. Sed sicut ecclesiā subiecta est Christo, ita & mulieres uiris suis in omnibus. Ista autem subiectio quid sit, satis exponit sequenter, quando cōuersationem eorum in reuerentiā & timore erga uiros cōmendat utilem ad uiroꝝ salutem. Ergo subditas esse, est reuereri uirum, & honorare, in omnibus obedire. Nā ad hoc inducit exemplum Saræ, quod subdita uiro suo fuerit, quia dominū eū uocauerit, ac per hoc eum timuerit, ac reuerita fuerit, parata in omnibus obedire & cedere. Quod si Petrus maritis infidelibus sic subdi præcipit, quanto magis id fidelibus præstandū. Sicut & rursum Paulus; Vxor uirū suū timeat, id est, reuerat Ephe. v. Contra hoc agunt cōtemptrices, contentiosæ, pertinaces in uiros suos, quæ nouissimū uerbū habere uolunt, aut quæ agunt sine scitu & uoluntate uiroꝝ, dispensantes &c. Hæ omnes huius præcepti sunt reæ, quia nō sunt subditæ suo maiorī; nam Apostolus, i. Corin. xij. dicit, quod mulieres subdi uiris lex dicat, Lex quidē Moysi in multis locis hoc habet, sed prima est Gen. iij. præceptū dei ad Heuā: Sub potestate uiri eris, & ipse dominabitur tui, hic expressa est diffinitio domini super mulierē. Sicut ergo nō licet filio cōtra patrem, seruo contra dominum, populo contra principem, aut sacerdotem cōtendere & erigi, ita nec mulieri contra uirum. Et notate hoc primum, grande enim est, & rarissime tenetur. Sic sancta Monica faciebat, & suo uiro tacuit & cessit. Alijs uero quæ a uiris uerberantur, dicebat oportere memores conditionis suæ, non superbire contra dominos suos, quando recitatis tabellis matrimonialibus intelligere debuerāt, se ancillas esse factas. Iḡ, aut subdita sit uxor, aut nō nubat

Coniugatorum regulæ.

Rixosæ mulieres agunt cōtra præceptum Pauli.

R. iij. Si non

Si non uult habere dominum desistat accipere uirum, quia sic deus in Apostolis & scriptura sua praecipit, & ordinat.

COROLLARIUM.

Virum morosum lenitate uincant.

Quaecumque habet morosum uirum, non praesumat par pari, uim ui repellere, sed moribus contrarijs ac placidis mutare. Sic enim hic docet Apostolus, ut ad fidem conuertantur uiri per bonam conuersationem mulierum. Quod autem de fide, hoc de quolibet alio minore bono faciendum est. Sic & Paulus, i. Cor. vii. Sanctificatus enim est uir infidelis per mulierem fidelem. Malum enim malo non uincitur, sed augetur & roboratur, uincitur autem bono.

Secundum, quod ornatus earum non sit in exteriori capillatura, aut auro, aut indumentis. Ariste nunc est potissimum ornatus Christianarum mulierum, & usque ad monstra perductus hodie, quod dicit Apostolus: Iste externus cultus sit gentilius mulierum, Christianae alio ornentur. Quis autem potest in tanto abusu tacere? Primum, scio aliquot mulieres (nam non sunt omnes stultae illius uanitatis cupidae) quae coguntur inuitae se ornare istis cultibus, ac mire fastidiunt sicut Hester regina, sicut S. Elizabeth regina; Et frequenter illae sunt tales, quae abundant ut possint ornari. Illae enim magis cupiunt, quae non possunt; Sicut nunc nobiles, & ciues, quo sunt egentiores suis auis, eo sunt in cultu effusiores. De istis itaque dicamus.

Ornatus mulieris sumptuosissimus, a uirorum & magistratibus perimitur.

Sancta Agatha cum esset ex nobili genere, non tantum in uelo sicut mulier incessit, sed etiam in seruili ueste, & de hoc reprehensa gloriabatur sese ancillam Christi, ut patet in eius legenda. Ac primum, nescio magis ne maritos an uxores arguam, aut certe magistratum ciuitatis, quod mulieribus talia permittant quibus extenuentur eorum res scienter ac uolenter. Cur enim ille non ponit leges, ut alibi fit? aut cur maritus uxorem non compescit, cum sit dominus eius? Aut si hoc sustinet uolens, quid miratur exactiorem principum? Et uidete, nisi mutaueritis, non cessabit, sed crescet exactio, de quo uos uolo certificare, quia ista finita, ueniet maior alia, quia sic prouocastis deum & prouocatis. Nonne debet pudescere honesta matrona, quod tanti precij habet uela, & calyptra, ut modesto ciui ad integram rem familiarem sufficeret? Quid dicam de tunicis & sumptuosissimis abusibus sericorum, purpurarum, auri, & argenti? Et sane mitius damnus est, quod in fibulas, catenas, & annulos uertitur argenteos, quae quod in aureas uitas, reticula, fimbrias, texturas, plumaria, ac polymita fit ex sericeo. Haec enim usum consumuntur, illa permanent utilia, & si nondum utilia. Sed quid de illis nouis, nescio an quaestus, an damni magistris, qui ad plananda uela & caetera lineae, rotarum sumptuosas machinas aedificant, ut. xviii. xx. florenos constent uela, xl. uel. l. constet machina planatoria? potuit fulmen rotas sanctae Catharinae paratas perdere, & non potest & has uanissimas ac mundanissimas machinas tangere? Sed haec omnia sunt signa, quod interior cultus displicet, qui non ita displiceret, si exterior non ita placeret; facile contemnit honesta matrona externum cultum, quae studiosa est interni cultus; neque possunt uterque ex aequo curari.

Rediit itaque tempus Synagogae, quod Esaias cap. iij. describit, dicens: Pro eo quod filiae Sion eleuatae sunt, & ambulabant extento collo, & nutibus oculorum ibant, & plaudebant, & ambulabant pedibus suis, & composito gressu incedebant, decaluaabit dominus uerticem filiarum Sion, & dominus crinem earum denudabit, in die illa auferet dominus ornamentum calciamentorum, & lunulas, & torques & monilia, & armillas, & mitras, & discriminalia, & piscelides, & murenulas & olfacto

& olfactoriola, & in aures, & annulos, & gemmas in fronte pendentes, & mutatoria, & palliola, & linteamina, & acus, & specula, & syndones, & uittas, & theristra. Et erit pro suaui odore fetor, & pro zona funiculus, & pro crispâi crine caluitium, & pro fascia pectorali cilicium &c. Ecce quot & quanta mulierum luxus congregauit. xxj. ornamenta mulieri non satis sunt. Quis non horreat uxorem ducere? nonne optimo uocabulo tam Græci quàm Latini, ornatum mulierem appellant mundum? quia uelut cōgeries rerum, ita illa mundum quendam constituunt. Lege etiam Theophrastum, B. Hierony. contra Iouinianum, & Plautum in Aulularia, & uidebis quod mulieri, si licentia detur, infinita cupiditas est ornatus, ideo non explenda, sed præcidenda omnibus uiribus. Et quid agit honesta Matrona, aut uirgo, ut tanto studio cupiat meretricibus conformari? aut quid quæris ornatu tanto, ut irrites animos alienorum uirorum? An significas, quia inuitam habes castitatem? An meretrix optas fieri? Quid quæris alij placere quàm uiro tuo? Quis non habeat suspectum hoc uotum placendi? Mulier satis a bunde placet, si ita est ornata, quod uiro placet, huic enim soli debet placere, huic data est & subiecta. Similiter & uirgines, cur stulte cupiunt placere iuuenibus? An non cogitas, quod terre ducere te, si cogitet quod tanto sumptu te cogatur ductam ornare? Si uis iuuenem amore capere, audis utilissimum consilium: Esto pudica, paucis ornata, paucis uerbis loquens, nec oculos aliquando in faciem eius iaciens. Maximus cultus uirginis & mulieris est pudica uerecundia: hæc enim prouocat & capit animos uirorum, super omnem ornatum. Insuper neque stabile facit matrimonium, ubi amor carnis, ornatu excitatus, cito fastidire facit nuptias: quia non moribus bonis, sed futili nixus est ornatu. Sic fac, & uirum acquires (etiam deo benedicente) citius, quàm dissolutissimæ illæ uoragines rerum, lupis & meretricibus simillimæ, de quibus Psal. cxliij. Filia eorum compositæ, circumornatæ ut similitudo templi, id est, præ alijs eminenter decoratæ, sicut templum præ cæteris domibus eminet, ornatur & spectatur &c.

Dictum est, quo modo mulier se erga uirum habere debeat, ut honoret suum maiorem, secundum hoc præceptum, duplici scilicet cultu, obediētia & reuerentiâ, ut sit prompti cordis, ad eius uoluntatem agens, deinde honoret eum ex corde, magnifice de eo sentiens. Si quærat autem, quomodo possit uirum habere in honore, qui sit dissormis, morosus, ac prorsus nec amore quidem dignus, nedum honore. Respondeo, sicut de parentibus dixi, quod deus in illo suspiciendus est, quia deo placuit, ut uir eius sit, & uices eius gerat, ut ait apostolus, Vir imago dei est, & gloria dei, Mulier autem gloria uiri. Ideo non debet sibi displicere, quod deo cernit placuisse & placere. Magna dignitas uiri, quod nomen dei & officium participat, ideo honorandus est ab uxore. deus enim uir est omnis ecclesiæ & animæ, quod sacramentum maximum, etiam causa est, cur uirum honorare debeat mulier, timere, & audire. Auerte ergo oculum a carne, & deum in uiro agnosce, & cole, & facile erit honorare eum.

At contra, ut uiri etiam se præbeant dignos uiri & maioris nomine, nunc dicendum est. Sequitur ergo B. Petrus ubi supra: Uiri similiter cohabitent secundum scientiam, quasi infirmiori uasculo impartientes honorē, tanquam etiam cohaeredes gratiæ uitæ, non impedianē orationes uestre.

Primum docet uiros, ut non simpliciter cohabitent mulieribus, sed secundum scientiam, id est, non secundum passionem & sensum tantummodo, uoluptatis causa, nihil discernens, inter uxorem & meretricem, nam sic & bestia cohabitant

Mundus mulieris, quia multas res requirit.

Uerecundia pudica ornatus mulieris.

Maritus deformis amandus propter deum.

Vir erga uxores sic se gerant.

bitant, & gentes. Erudit itaq; oculū uiri, quo uxorem inspicere debet, nempe non oculo concupiscentiæ, sed scientiæ & cogitatiōis: Qua scientia duo iubet scire & agnoscere uirum in uxore. Primum, inquit, quali infirmiori uasculo. Secundum, tanq; cohæredes eis sint mulieres. Et sic seipsum exponit, quid uelit per cohabitationem secundum scientiam intelligi, scilicet ut uir agnoscens uxorem, & infirmius uasculum, & tamē cohæredem gratiæ habeat eam in honore, & non in passione desyderij. Declāremus autem latius.

Scire debetis uiri, quod mulier sit infirmius uasculum q̄ uir, ideo secundum hanc scientiā eis cohabitētis. Uasculum uocat, & quo ad corpus, & quo ad animam, nam & uir eodē modo uasculū est, sed firmius. Mulier em̄ sicut est mollioris corporis, ita & animi, ideo ei impartendus est honor a uiris firmioribus. Uasculum omnes dicimur propter animā in corpore, ut in uase morantem.

Honor uasculi, castus amor cōiugij.

Est autem iste honor uasculi, honor corpori muliebri impartitus, qui nihil est aliud, nisi casto amore uxorem diligere, ut, 1. Thess. iij. Ut sciat unusquisq; uestrū, uas suū possidere in sanctificatione & honore, nō in passione desyderij sicut & gentes, quæ ignorant deum: hoc est, abstinendum ab uxore est, & non est satisfaciendū cōcupiscentiæ: Sanctificatio enim illa est castitas. Sed Apostolus hæc docens, per obliquū etiam uxores uiris cōmendare uolens, ut patientiā cum ipsis habeant, uelut epitheto breuissimo patientiā uirorum tangit, dicens, infirmiori uasculo muliebri. q. d. Mulier est, infirma est, uasculū est, habens animam nobilissimam. Hæc igitur scientes impertite eis honorē propter eas, tum etiam propter uos, ne impediātur orationes uestræ. Passiones enim concupiscentiæ, quæ sinunt orare: immo aliquod honestū agere: Cū oratio maxime requirat animum abstractum a passionib⁹ carnis. Sed cum sit infirmius uas mulier, etiam ferenda est, & dissimulanda eius culpa, & non exacte semp̄ puniēda pro rebus leuib⁹, sicut aliqui uiri nimis tempestuosi facillima causā tragoediā agunt. Sicut Psal. dicit domino: Si iniquitates obseruaueris domine, domine quis sustinebit: Ita impossibile est in re familiari, durare pacem inter uirum & mulierem, si alter alteri nihil condonet ac dissimulet, sed omnia ad unguem obseruet. Quis enim non offendit aliquādo: Ideo dissimulanda sunt multa, ignoranda plurima, ut pacis ratio possit cōstare. Igitur uirum moueat ad uxorem caste seruandam, quod est infirmius uasculū propter corpus, scilicet mollius, & animū molliorem: deinde magis, quia est cohæres tantæ gratiæ. Tertio maxie ne & uiroꝝ salus ipsa impediāt, uide efficax psuasio & uehemēs

In re familiarum multa condonanda, nō nulla diligēdum.

Similiter Apost. Paulus Ephe. v. Viri diligite uxores uestras, sicut & Christus dilexit ecclesiam. Et unusquisq; uxorem suam sicut seipsum diligit: Uxor autem timeat uirum suum, id est, honoret ac reuereatur. Pulchre distinxit, uir diligit, uxor timeat, utrunq; caste, castus amor descendat, castus timor ascēdat hunc inferior superiori, illum superior inferiori debet. Et Col. iij. dicit, Viri diligite uxores uestras, & nolite esse amari ad illas: hoc est, quod supra dixi, ne nimis exquirant & obseruent materiam obiurgandi.

Vxor timeat uirum.

Quomodo ergo Christus dilexit ecclesiam: utiq; spiritualiter, cum non inueniret quod amaret, sed quod odiret in illa, tamen tradidit semetipsum pro ea sanctificans illā &c. Ita uir si inueniat in uxore minus amabile, oportet ut ipse mutetur, & tradat se, id est, relinquat suum desyderium, quod non implet propter defectum uxoris, ut sic tantummodo ea in illa aspiciat, quæ amabilia sūt, & sic mundet eam sibi ipsi, ut exhibeat eam sibi absq; ruga. Quod non fit, nisi, ut dixi, in bono uicerit malum, & discat diligere etiam nō diligibilia, ut fiant diligibilia

Maritus.

diligibilia, uel ipsis mutatis, uel ipso. Nam cum omnes res sint indifferentes, possunt tum diligi, tum odiri, secundum quod mutatur animus: ut honor mundi idem manens, diligitur & oditur ab eodem homine averso & conuerso. Et iste est modus optimus mutationis, ubi non res & obiectum, sed potentia mutatur, hoc enim est stabile. Christianorum est hæc mutatio, & dexteræ excelsi, sed mundanorum est solum quærere mutationem obiectorum.

Satis de isto. Nunc de familia.

Honora patrem & matrem, quod sub patre etiam intelligatur dominus dominus, patet ex, iij. Regū. v. ubi serui Naaman uocauerūt eum patrem. Inde deniq; est nomen paterfamilias. Quare honorandi sunt seruis sui domini, eadē expositione, qua supra, scilicet honore spirituali intus prompte eis obediendo & sublimiter de illis sentiendo propter dominum, cuius & nomen & officium in illis lucere uident, cuius & uoluntas hoc uult, ut. j. Pet. ij. Serui subditi sitis, (ecce obedientia) in omni timore (ecce reuerentia) dominis: non tantū bonis & modestis, sed etiam discolis, id est, difficilibus, prauis, morosis, obliquis, tortuosis &c. Quanquā hic Apostolus de seruis proprie loquitur, non conducticijs, tamen eosdem tangit idem mandatum. Igitur serui qui res dominorum suorum fraudant studiose ac uiolenter, non secus q̄ fures reputandi sunt, & tenentur ad refusionem, quia mercenarij sunt, ut sint fideles. At nunc tota querela totius mundi est contra familiam. Ideo hoc præceptū eis diligentissime est notandum, quia hoc non est honorare dominos, appellare eos dominos, sed ex corde obedire & timere. Et pulchre isto uerbo Apostolus cōsolatur familiam, quæ de dominis suis queritur, quod sunt mali seu discoli, id est, difficiles, dicens: Hæc est enim gratia, si propter conscientiam dei sustinet quis tristitias patiens iniuste. Quæ enim est gratia, si peccantes colaphizamini, & tūc sufferitis? Et Paulus Coloss. iij. Serui obedite per omnia dominis carnalibus, non ad oculū seruietes, quasi hominibus placentes, sed in simplicitate cordis, timentes dominum; quodcūq; facitis, ex animo operamini, sicut domino & nō hominibus: Scientes, quod a domino accipietis retributionem hereditatis, domino Christo enim seruitis. Ecce q̄ pulchre ducit Apostolus hoc præceptum in spiritualem intelligentiam, quod ex corde honorandi sunt domini; quia nō illis, sed domino seruitur in illis. Si ego hæc tam expresse dicerem, nemo crederet. Sed sequitur quoq; consolatio eorum, sicut & Petrus fecit, dicens: Qui enim iniuriam facit, recipiet id quod iniure gessit (ecce patientiam eorum format) & non est acceptio personarū apud deum, id est, non uos turbet, quod illi sunt domini, uos serui. Idem est apud deum, qui bene uel male operat, accipiet. Eadem Eph. vj. Serui obedite dominis carnalibus cum timore & tremore in simplicitate cordis uestri, sicut Christo; non ad oculum seruietes, quasi hominibus placentes, sed ut serui Christi (id est, quia Christo seruitis) facientes uoluntatem dei ex animo, cū bona uoluntate seruiētes, sicut domino & nō hominibus (in hoc enim non hominū, sed dei uoluntatē facitis, & deo seruitis) Sciētes quoniā unusquisq; quodcūq; fecerit bonum, hoc recipiet a domino, siue seruus, siue liber. Et Tit. secundo. Seruos dominis suis subditos esse, in omnibus placentes, nō contradicētes, nō fraudantes, sed omnem fidem bonā ostendentes, ut doctrinam saluatoris nostri dei ornent in omnibus.

Contra, dominos oportet etiam se non tyrannos exhibere, quia ut supradictum est, impossibile est, ut seruus non aliquando obmittat aut cōmittat; oportet multa dissimulare in bono seruo. Nam si illi debent obedientiam & reuerentiam

Serui dños
honorent.

Serui fraudes
lenti.

Seruoꝝ cori
solatio, quia
mercedem a
dño suscipiēt

Dñi nō sint
tyranni;

rentiam, utiq; domini etiam debent clementiã & beneuolentiã. Vnde Ephe. vj. Et uos domini eadem facite illis, remittentes minas. Scientes quia & uester dominus est in cœlis, & non est personarum acceptio apud deum. Quis enim

Mercenarij
mali.

potest seruire ei, qui ad omnẽ auditũ increpat, iurgat, totusq; turbulentus est. Hos sequuntur & alij mercenarij & operarij, ut manuales murarij, fabri lignarij, & similis generis, de quibus & fraude eorũ ubiq; grandis est questio; multo precio conducunt, pigre operantur, & maiore parte fraudant dominos quibus seruiunt; & heu nullam conscientiam sentiunt in hoc ipso, quasi non manifeste sint latrones & fures alienæ rei, quam iniuste accipiunt, dum non satis laborum pro ea faciunt.

Magistrati-
bus nõ oblo-
quendum.

Nouissime huic pertinent episcopi, & principes, plebani, & senatus, utriusq; scilicet dominium; qui sunt q̄ maxime timendi, quia gladium domini portant, quibus cauendum est, ne obloquatur ullus, quia lex dicit; Principi populi tui ne maledicas. Et iterum; Dñs tuis nõ detrahas. Et heu nullis liberius detrahẽ q̄ illis; Nullus timor est dei in illis præsentis. Omnis em̄ potestas a deo est, & licet exactioent & premãt rusticos, aut ciues suos, aut sacerdotes, tamen sunt ferendi, non secus ac manus domini prementis peccata nostra, & demerita. His quia præ potentia non possunt nocere in operibus, nocent in uerbis ideo lex præcipit, ne detrahatur eis, neq; male dicat. Hoc est enim iudicare suũ superius, quod omnino repugnat ordini. At quo illorũ uita magis est in luce, eo magis iudicatur & reprehenditur, sed minus catholice, immo orthodoxe.

Concludamus.

Iudæi hoc præceptum irritum fecerunt, quando pro sua auaritia docebant; Munus quod per me tibi prodest, id est, si obtulero illud pro te deo, erit utilius q̄ si tibi dedero. Quãuis & nunc illa stultitia passim regnet, agente eadem auaritia sacerdotum, ut plus tribuant ad mortuos lapides & ligna, & paratiore animo, q̄ proprijs parentibus, ac proximis uiuentibus. Quare (ut dixi sæpius) ne cum Iudæorũ uanissima hypocrisis, legem dei oblitũ, arguamur. Primũ honoremus dei præceptum, & sic honoremus, ut spiritualiter illud operemur, & intelligamus. Hoc est, ut ante omnia istis externis bonis, seu corporis, seu rerum (quia deus illorum non eget, nec ullum uerbum de ijs sibi cõferendis, in primis præceptis posuit, ut dicit apud Hier. vij.) paratibus obsequamur, si egent, deinde propinquis, postea pauperibus & egenis. Tandem quibuscunq; opus fuerit, mutuo uel gratis demus, proximis & fidelibus. Et non sic, ut illis prætermittis (ut nũc furor regnat) templa, imagines, uela, uasa, in illis sumptuose comparemus. Hæc sint nouissima & modica, quia non necessaria. Necessarijs enim caremus, quia superflua struimus. Nõ enim necesse ut superfluis studeamus, cum tot sint necessaria ad salutem, ut nemo sufficiat ea perficere. Alioquin si illa sunt necessaria ad salutem, ubi pauperes saluabuntur, qui hæc non habent; Sed nunc miserrimo tempore ita illis instatur, tanq̄ hæc sint & necessaria & sola ad cultum dei pertinentia, cum ad hominum consolationem data sint, & deus non eget, sed homo illorum, & non dantur hominibus, sed deo, mira cæcitate. Et sunt qui dicant; Scimus quod non eget deus illis; sed non respondent, si dixeris eis; Cur ergo das illa deo non cupienti, & subtrahis eadem fratri indigenti, contra uoluntatem dei præipientis? Et tantum de illo præcepto quarto.

Auaritia sa-
cerdotũ pie-
tatem oppu-
gnat.
Christiana
doctrina.

Templa nimis
ornantur.

Præceptum